

Paschas. infra citandi. D. Paschasius, & alij, quod Dominus hic nobis mandat, non ad perfectionis aequationem, sed ad proportionem quandam, ut quantum in nobis est ipsum imitemur, ut nunquam perfectione aliqua sumus contenti, sed semper majorem, & majorem inquiremus. Sic Christus orans ad Patrem ait: Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, Joan. 17. n. 11. Et ait etiam Christus suis discipulis: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, Joan. 13. n. 33. Nos illam substantialem unionem, quae est inter Patrem, & Filium, adaequare non possumus; nec illum Christi Domini ergo genus humanum amorem perfectissimum: nobis tamen haec proponuntur, ut illa omnibus viribus imitemur, & ne, dum aliquem unionis, vel amoris gradum sumus assecuti, quiescamus, sed semper excellentiorem affectemus, & nunquam praetermittamus sequi majora, & ad ulteriora semper tendamus. In quo stat perfectio nostra.

Joan. 17. Joa. 13.

129. Nyssen. August.

130. Philip. 3.

Theophyl. Nostra perfectio fit in eo, quod in aliquo illius gradu contenti non sumus.

D. Gregorius Nyssenus lib. de vita Moysis, sic ait, Ita enim se habere, ut ad ulteriora semper in virtute homo veli ascendere, id ipsum forsitan humana natura perfectio est. D. Augustinus lib. de verbis Apostoli, sic ait: Semper tibi displicet, quod es, si vis pervenire ad id, quod non es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti; si autem dixeris, sufficit, periisti. Unde pulchre ait D. Bernard. Epistol. 253. Jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur: nolle proficere, deficere est. Quod totum confitimo praeleganti loco Pauli ad Philip. num. 12. Ait Apostolus, quod totus se dedit ad habendam justitiam, quae est ex fide Christi Jesu, & ad cognoscendam virtutem resurrectionis ejus, nam quasi jam acceperim, aut jam perfectus sum, sed quod, quae retro sunt obliviscens, ad ea, quae sunt priora, extendens se, ad destinatum bravium supernae vocationis profectur. Et concludit num. 15. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus. Ubi in tam paucis verbis videtur Apostolus contraria dicere. Nam primo se imperfectum fatetur: Non quasi perfectus sum. Secundo inter perfectos se annumerans, perfectum se esse testatur. Quomodo haec cohaereant, in varias sententias fecit abire sacros Patres, atque Doctores. Tamen optimè solvitur nodus, quod Magister Gentium ob suam eximiam humilitatem se imperfectum judicabat, & multas sibi perfectiones deesse existimabat, ad quas acquirendas illi esse incumbendum, sibi persuadebat, & ideo semper se extendebat ad priora, ac excellentiora, quae ante mentis oculos erant, ut ait ibi Theophylactus, existimans, illa sibi deesse ad perfectionem. Et in hoc, quod se imperfectum agnoscebat ad excelsiora intendens ascendere, in hoc perfectus erat. Ita ait: Quicumque perfecti sumus, hoc sentiamus; id est, qui perfectionem assequi conamur, hoc sentiamus, nos perfectos non esse. D. Augustin. lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum. Postquam utraque Pauli verba refert, sic subdit: Tunc enim est secundum hanc infirmitatem pro suo modulo perfecta ista parva justitia, quando etiam, quid sit desit, intelligit, ideoque Apostolus & imperfectum, & perfectum se dicit, imperfectum, cogitando, quod desit, & justitiam desit, cuius plenitudinem adhuc esurit, & sicut: perfectum autem, quod & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & ut perveniat, bene procedit. Idem ferè docent. D. Hieronymus lib.

1. adversus Pelag. D. Chrysoctomus, Theophyl. lactus, S. Thomas ibi. Hujus rei optimam rationem assignat Magnus Caesarius Dialogo 3. Postquam praesentia Christi verba citat: Estote perfecti, &c. post pauca ait: Capessamus igitur pro viribus, virtutem levibus, ac crebris ad ipsam salibus assilientes, etiamsi ad summam nequaquam pertingere possimus: nam in iis, quae praeter ceteris pulchra sunt, ipsum totum licet consequi nequeant, vel partem assequi, lucrum haud vulgare est. Idem ferè habet D. Gregorius Nyssen. Nyssenus citato lib. de vita Moysis. Exhortatur nos Dominus, ut sumus perfecti, sicut & caelestis Pater perfectus est; non quia illam supereminentem perfectionem apprehendere valeamus, hoc enim aperte est supra nostram naturam; sed ut illum incomparabilem benignitatem pro viribus, quantum fas est, imitemur: quia magni animi est, magna quaerere, ad magna vocat Dominus suos athleticas. Deinde eos docet, ut sublimitia adipisci curent, quia etsi totum obtinere non valent, saltem assequantur partem, quod est magnum emolumentum.

Quaeres. An perfectio, hic à Christo commendata, praecipit sit, vel consilij? Respondeo. Partim esse ex praecipito, partim ex consilio. Primum hujusmodi perfectio est praecipitum. Quia quilibet Christianus tenetur, in suo statu perfecte observare praecipita, & mandata, quae ad ipsum pro tali statu, & officio pertinent. In primis fidelis tenetur, perfecte observare legem Dei, ac inimicos diligere. Religiosus obligatur ad regulam suam implendam. Clericus, quae sunt illius status Principes, ministri, milites ad ea, quae ad ipsos pertinent. Et ita quilibet in suo statu, ac gradu debet perfectioni studere; juxta illud Domini ad Israël: Perfectus eris absque ulla macula coram Domino Deo tuo, Deuter. 18. num. 13. Et illud Pauli, Fratres gaudete, perfecti estote, Corinth. 13. num. 11. & ad Collosens. 1. num. 18. Ut exhibeamus hominem perfectum in Christo Jesu. Et illud Jacob. 1. num. 4. Ut suis perfecti, & integri in nullo deficientes.

Secundo haec perfectio est consilij, prout respicit, non observationem praceptorum tantum, sed etiam consiliorum, ut renuntiare bona propter Christum, Matthaei 19. n. 21. Si vis perfectus esse, vende, quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & veni, sequere me.

QUESTIO XX.

Quomodo cohaereant sacri Evangelistae, cum Matthaeus scribat perfectionem, Lucas verò misericordiam dicat?

MATTHAEUS, scribens hunc altissimum Domini sermonem, ait: Estote perfecti, sicut & pater vester perfectus est. Lucas verò ita refert: Estote misericordes, &c. Quod videtur inter se discrepare, praecipue, si eam tenes sententiam, quae asserit, eundem esse sermonem ab utroque Evangelista relatum: nos autem diximus, esse diversum, supra cap. 10. q. 1. & 2. Et ita in nostra sententia facile se exhibet solutio.

135. Et tunc potest dici, quod eadem sit sententia; tum ex radice Hebraica, tum ex sensu elicitio ab utroque Evangelista. Nam in primis ex radice Hebraica videtur, quod idem sit misericordem, sanctum, ac perfectum esse. Pedes Sanctorum suorum servavit, Reg. 2. 11. 9. transfert Cajetanus ex Hebraeo: Pedes misericordium suorum custodiet; Ubi ait. P. Franciscus de Mendocça in Comment. n. 9. Quis non videt, misericordes idem esse, atque intrinsece sanctos, & perfectos.

Ex verbis etiam Evangelistarum idem sensus elicitur; uterque enim agebat de dilectione inimicorum; Matthaeus dicit perfectum, Lucas misericordem, seu juxta radicem Hebraicam, beneficium, ut observat Franciscus Lucas. Et optimè inter se cohaerent. Nam in remittendis, ac condonandis injuriis, & in beneficiis largiendis erga ingratos, ac inimicos, pro eisque exorare, magna misericordia visitur, ibique etiam eximia perfectio apparet, dum praexcellens bonitas declaratur, quae nullius injuria tangitur, nullius ingratitude, vel malitia reprimatur, sed in omnes beneficia sua diffundit. Et rectè sacri Evangelistae dicunt. Sicut Pater perfectus est; sicut misericors est; quia in hoc negotio dilectionis inimicorum Dei perfectio, ac misericordia mirifice rehaeret; & ubi Dei misericordia respundet, ibi ejus perfectio singulariter manifestatur, ac ejus infinita bonitas irradiat, quae omnibus sua dona communicat, beneficia largitur, gratiam confert. Et qui hanc benignitatem imitatur, veluti quadam imagine caelestem imitatur Parentem. D. Dorotheus de vita na 12. Postquam adducit citata verba Lucae, ait: Non dixit, Jesunate, ut Pater caelestis jejunat; non dixit, Pauperes estote, ut Pater caelestis inops est, sed quid ait? Estote misericordes, sicut Pater caelestis misericors est. Proprie enim virtus ista imitatur Deum ipsum, exprimit; & significat.

Quantam verò perfectionem, ac excellentiam ista Dei misericordia declarat, nobis peroptimè explanat Regius Vates Psalm. 70. ubi Deum multum benignum, & misericordem fatetur in remittendis injuriis, in reconciliandis sibi inimicis, ac peccatoribus; & multum de ejus misericordia confidit, ac multum auxilium, & protectionem de manu ejus sperat; & vers. 14. ait. Ego autem semper sperabo; & adjiciam super omnem laudem tuam. Sed quid est, quod dicit: Adjiciam super omnem laudem tuam? Omnium gloria debita est; quas ergo additiones promittit; quid est, quod dicit, se adjecturum? Quamvis omnis laus Deo sit debita in omnibus operibus suis, quod sit justus, quod sit rectus, quod sit omnipotens, tamen, cum ad ejus misericordiam devenitur, tanta ibi apparet, & visitur excellentia, ut in istis laudibus super omnem laudem sit adjecturum. Hic Regius Vates, ut explicat Lorinus, vult pluries ipsum laudare, majori conatu, ac diligentia ipsum extollere. D. Augustinus ibi. Videamus quid adjiciat. Posset esse omnis laus tua, & nihil omnino deesse videretur ad laudem tuam; & quia & nihil deesset, si dantes omnes iniquos, non enim non esset magna laus Dei justitia ipsa, quae iniqui damnantur: magna laus esset, fecisti hominem, peccavit. Tu si massam istam iniquitatis dantes, qui inani tibi dicit: Injuste fecisti? Esset plane etiam sic justus, & omnis esset ista laus.

Attendite, hoc est, magnam considerationem adhibere; seu, ut legit Augustinus. Cavete. Et, ut inquit Chrysoctomus, Theophylactus, Euthymius: Cavete à vana gloria, tanquam à cruci.

Sylveira in Evang. Tom. 1 l. 1.

una. Sed quia liberasti & ipsum peccatorem, justificando impium, adjiciam super omnem laudem tuam.



CAP. XV.

Oratio Dominica.

Matth. 6. n. 1. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in caelis est.

VERSIONES.

D. August. l. 2. Cavete, ne justitiam vestram, &c.

D. D. Pasch. lib. 4.

Syracus. Attendite autem in elemosyna vestra, ne erogetis eam coram hominibus, ut spectemini ab eis: alioquin nulla vobis futura est merces.

Vat. ablus. Pa. g. n. 1. Attendite, ne elemosynam vestram praestetis coram hominibus: alioquin praemium non habebitis.

Arabicus. Attendite, ne misericordiam vestram.

EXPOSITIO.

RESEQUITUR Dominus suum admirabilem sermonem in monte. Et postquam superiori capite perfecti, & adimplevit legem, & docuit, multa esse comprehensa in lege contra id, quod Scribae, ac Pharisei sibi persuadebant, & admonuit suos ad perfectionem Evangelicam, atque ad inimicorum dilectionem, tanquam ad summam omnium virtutum charitatem, ut ait Theophylactus: nunc docet, eam intentionem in operibus habendam, ut Deo soli placere studeant, ut ita mercedem habeant apud Patrem caelestem; & ideo hic monet, vanam gloriam fugiendam. Et de tribus hic agit, elemosyna, oratione, ac jejunio; quia cum haec tria ferè maxima sint virtutum opera, quae in actionibus exterioribus consistunt, in eis potest facile morbus vanitatis irrepere, ut latius dicam quasi. seg.

Attendite, hoc est, magnam considerationem adhibere; seu, ut legit Augustinus. Cavete. Et, ut inquit Chrysoctomus, Theophylactus, Euthymius: Cavete à vana gloria, tanquam à cruci.

2. August. Chrysoct. Euthym.

Vana gloria crudelis fera. Chrysof. Theophyl. Arias. Vatabl. Pagnin. August. Hieron. Paschal. Chrysof. Gregor.

Glossa. Iustitia quid significet hic.

3. Chrysof.

August.

4. Calar. Arias. Pagnin.

Cajetan.

Alb. Magn.

Aggæi.

quæst. 2. quod Dominus superiori capite instruxerat homines, tam prelatos, quam subditos, tradens eis propria documenta, tum circa legem, tum circa Evangelicam perfectionem. Ne ergo quis erraret circa intentionem, hic eos instruit de ea: quia, cum opus sit quid morale, in opus malitia intentionis refunditur, ac adeo non sufficit, opus ex genere suo bonum operari, nisi bona intentione fiat, cum opus alias ex genere suo bonum, malitia intentionis vitietur, ut docet Philoophus 3. Ethicor. & Theologi cum D. Thoma 1. 2. quæst. 19. art. 8. Ut ergo sit meritorium, non in fines, ac applausus humanos, sed in Deum debet tota sua intentione dirigi. Hoc pacto est explicandum id, quod dicitur, coram hominibus; nam potest fieri coram hominibus, non tamen ut videamini ab eis, sed ut glorificent Patrem. Et tunc opus est meritorium. Et potest absentibus hominibus fieri; si tamen propter desiderium gloriæ fiat, mercedem suam perdet. Quod docet D. Gregorius lib. 8. Moral. cap. 38. O us nostrum, cum hominibus ostenditur, in coram prius examinatione pensandum esse, per ejusdem ostensionis studium quid queratur & si enim dantis gloriam querimus, etiam publica nostra opera in conspectu illius occulta servamus. Si vero per hoc nostram laudem concupiscimus foras ab ejus conspectu jam fusa sunt. Et ita etiam docet lib. 19. Moral. cap. 18. quod Sancti aliquando laudes suas dicunt, ut non ipsi essent operibus, sed Pater eorum, qui in calis est, rebeat glorificari.

Secundò. Cardinalis Hugo ait, quod Dominus doceret supra fugere vitia Pharisæorum, & quod iustitia Apollolorum super iustitiam Pharisæorum abundare debet. Marc. 5. num. 20. Quia autem Pharisæi maxime appetebant, omnia per inanem gloriam ostentare, ideo, cum ab eorum vitiiis ut fugendum, hanc inanem gloriam declinare horratur.

Tertio. Volebat Dominus agere de elemosyna, oratione, ac jejunio, quia hæc tria exteriorum virtutis operum fere præcipua sunt, ut docet Augustin. lib. de perfectione iustitie, varioc. 17. & Chrysofomus homil. In quibus maxime solent inanis gloria illari. Nam, ut ait citatus Chrysofom. Pharisæus instans dicebat: Jejunio bis in Sabbato, decimas de omnibus, quæ possideo, Luc. 17. num. 1. & in ipsa precatione captabat vanam gloriam, se ostendendi gratia, ea usus. Ergo antequam de tribus illis virtutibus agat, à suo vult grege inanis gloriæ arcere pestem.

Quarto. Inanem gloriam Dominus à nostris actionibus summovet, ut mercedem apud Patrem habeamus. Quod eleganter explicat D. Chrysologus serm. 9. Iustitia, ait, quæ se humanis oculis locat, divini Patris non potest expectare mercedem. Voluit videri, & visa est, voluit hominibus placere, & placuit: habet mercedem, quam voluit; præmium, quod habere noluit, non habebit. Qui ut ab hominibus glorificetur, sua opera facit, ab hominibus mercedem recipiet; à Deo autem præmium non obtinetur, nisi opera nostra in laudem, & gloriam ejus ordinentur. Non quia aliquid ipsi laude nostra accrescat, qui nostra major est laude; sed quia ita constituta ratio exigit, ut in illa summa bonitate laudanda omnes nos versetur, & omnia in laudem, & gloriam ipsius referamus; ut optime explicat Franciscus Lucas.

Bona intensio opere requiritur.

Philosoph. S. Thom.

Gregor.

6. Iustitia discipulorum abundat.

7. August. Chrysof. Inanis gloria vitium Pharisæorum.

8. Chrysolog.

Per inanem gloriam homo à celesti præmio defraudatur.

Laus nostra Deo debita.

Si

QUESTIO I.

Quare Christus Dominus hic agat de fugienda inani gloria?

1. Querimus in præsent. Cur Dominus omnis hoc loco, quam in alio, agat de bona intentione operis, ac de fugienda inani gloria? Rectè respondit. Primò Abulen.

9. Si ergo, qui desiderio videndi ab hominibus tenentur, ac temporales sequuntur applausus, cum jam mercedem habeant, ab æterna expossantur. Econtra verò qui omnem humanam gloriam abiciunt propter Deum, & illi soli placere querunt, magnam apud Deum inveniunt gratiam, gloriam, atque coronam. Ait Jerem. 17. nam. 14. Sana me, Domine, & sanabor; saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea in es. Ego autem non sum turbatus, te pastorem sequens, & diem hominis non desideravi. Ubi à Deo petit obnox, ut sit ei in auxilium, ac medicamen, ut à crudelibus adversariorum suorum evadat vulneribus, & ut ipsam salvam faciat, ut gloria, & honore coronetur. Sed quid pro se allegat Propheta ad impetrandum id, quod optat? Te sequutus sum, & diem hominis non desideravi. Sed cur non dicis opprobria, quæ ob Deum passus? cur non enumetas labores, quos in predicatione sustinuit? sed tantum ais: Te sequutus sum, & diem hominis non desideravi? Qui dies hominis desiderat, ab hominibus videri vult, hominibus placere cupit, & suam jam ibi habet mercedem; qui autem dies hominis non desiderat, nil aliud, nisi à Deo videri, & eique placere affectat; & ideo promissam mercedem confidenter ab eo postulare, ac expectare valet, cum non desideraverit diem hominis, qui Dei diem excludit. Gillibertos Abbas serm. 1. in Cantica. Diem hominis, inquit Prohibita, non concupi, Nescit quo pacto sibi adversantur, & alterutro se obscurant dies Domini, & dies hominis, siquidem dum alter exoritur, alter reconditur. Diem inquit, hominis non concupi: hoc est, humanum favorem; hominum gloriam, & inter reliquos, imò præ reliquis spectabilis videri. Rectè hanc diem Propheta abjurat, quæ perurbationis ministrat materiam.

10. Valde enim consequens est, quod homo per inanem gloriam, quæ omnium est devastatrix bonorum, æternitatis corona privetur. D. Basilus in Constit. Monast. cap. 11. sic ait: Fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum spoliaticem jucundum animarum nostrarum hostem, sineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum depradatricem, candemque mellis illius, fraudis sui veneni coloratricem. Vide supra cap. 7. n. 101. & cap. 10. n. 196. & 197. & lib. 3. c. 3. n. 19. & 85. & 116.

Matth. 6. n. 2. Cum ergo facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

VERSIONES.

Syriacus. Quom igitur facturus es elemosynam, ne proclamaveris cornu coram te, ut faciunt ac-

ceptores vultus hypocritæ in Synagogis, & plateis, ut celebrentur ab hominibus.

Vatabl. Ne tuba clangeris ante te quemadmodum hypocritæ faciunt, ut gloria extollantur ab hominibus. Amen dico vobis, abstulerunt mercedem suam.

D. Cyprianus. Noli buccinare ante te Pagnin. Arias. Ut glorificentur ab hominibus.

EXPOSITIO.

11. O C U R Dominus supra, vitare finem malum, ac inanem gloriam in operibus iustitiæ in genere, prout iustitia dicit id, quod iustum, ac sanctam est. Nunc verò specificat in particulari in operibus iustitiæ, seu sanctitatis. Et exorditur ab elemosyna, quia est quædam misericordia, de qua supra dixerat ante immediatè, cum de dilectione inimicorum egerit: nam inimicis benefacere, & pro eis exorare, quædam misericordia est, ut dicit Hugo: Noli tuba canere ante te. Sumi hic uban pro quolibet signo externo, quo quis manifestatur, de quo quæst. sequenti. Et magna emphasi ait: Noli tuba canere. Non dixit, prestetere, clangere tuba, ut Num. 10. num. 3. Clangere tuba, ut Levit. 23. n. 24. Nec buccinare tuba, ut Psal. 80. n. 4. Sed Canere tuba; quia illo sonitu inanis gloriæ, ac humani applausus, ita delectantur hypocritæ; ac in suavissimo cantu. Albertus Magnus. Placencia talis soni delectantur, sicut in canico musico. Job. 21. num. 12. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organ.

12. Sicut faciunt hypocrita. Nomen est Græcum hypocrita, & significat, ut observant D. Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte, D. Paschalis lib. 4. in Matth. histriorem, seu simulatorem, qui in theatris, & tabulis alienam personam simulat; seu qui ficta persona fabulam agit ad populom. Ex quo per translationem in Scripturis sacris; sanctitatis simulatores hypocritæ vocantur: nam hi, non proprias, sed alienas personas fingunt; in ore, ac gestu sanctitatis speciem ferunt, & intrusunt vitiorum, ac peccatorum veneno repleti. In Synagogis, & vicis, id est, plateis, ac aribus J. dei conveniebant ad orandum, ac ad audiendam doctrinam de lege, ac Scriptura, & ad elemosynas etiam faciendas. Receperunt mercedem suam; suæque vanitati congruam; nam voluerunt ab hominibus videri; & hoc jam obtinuerunt, ut dixi superiori quæst. ex D. Chrysolog. Cætera vide in superiori expositione, numero 4.